

XXVIII

ARCHYTAE TARENTINI EXIMI PYTHAGORICI EXEMPLO IN LITORE APVLIAE  
DIV INHVMATI IACENTIS FATVM IDEM ET BONOS ET MALOS MANERE OSTENDIT

*Heroico-Alcmanius*

Tē maris et terrae numerōque carentis harēnae  
Mēnsōrem cohibent, Archyātā,  
Pulveris exiguī prope lītus parva Matīnum  
Mūnera : nec quicquam tibi prōdest

Āeriās temptāsse domōs, animōque rotundum  
Percurrisse polum, moritūrō !  
Occidit et Pelopis genitor, convīva deōrum,  
Tīthōnusque remōtus in aurās,

Et Iovis arcānīs Mīnōs admissus, habentque  
Tartara Panthoidēn, iterum Orcō  
Dēmissum, quamvīs clipeō Trōiāna refīxō  
Tempora testātus, nihil ultrā

Nervōs atque cutem mortī concesserat ātrae,  
Iūdīce tē, nōn sordidus auctor  
Nātūrae vērīque. Sed omnēs ūna manet nox,  
Et calcanda semel via lētī.

Dant aliōs Furiae torvō spectācula Mārtī ;  
Exitīō est avidum mare nauīs ;  
Mixta senum ac iuvenum dēnsentur fūnera : nūllum  
Saeva caput Prōserpina fūgit.

Mē quoque dēvexī rapidus comes Ōrīōnis  
Illyricīs Notus obruit undīs.  
At tū, nauta, vagae nē parce malignus harēnae  
Ossibus et capitī | inhumātō

Particulam dare : sīc, quodcumque minābitur Euris  
Flūctibus Hesperīīs, Venusīnae  
Plēctantur silvae, tē sōspite ; multaque mercēs,  
Vnde potest, tibi dēfluat aequō

Ab Iove, Neptūnōque sacrī cūstōde Tarentī.  
Neglegis immeritīs nocitūram  
Postmodo tē nātīs fraudem committere ? Fors et  
Dēbita iūra vicēsque superbae

Tē maneant ipsum : precibus nōn linquar inultīs ;  
Tēque piācula nūlla resolvent.  
Quamquam festīnās (nōn est mora longa), licēbit,  
Iniectō ter pulvere, currās.